

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni
magni ad trigesimum ...

Christopherson, John

[Köln], 1569

Quod Constantinus adhibitis orationibus componebat se ad bellum:
Licinius contra incantationibus. Cap. IIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29861

loca, in quibus versabatur Tyranus quasi manu dixisset.

*Quid Constantinus animo conceperit, cum christianis
persequutio intentaretur.*

CAP. III.

Qui cum ne rumorem quidem de illis rebus quas di-
ximus dissipatum amplius ferendum cerneret, mo-
desta animi, ratione, rem secum reputare, & morum
seueritate cum Clementia naturaliter sibi insita tempe-
rata, ad afflictorum liberationem maturare cœpit: existi-
mans pietatis & sanctimoniae munus esse, ut per vnius
cædem infinita hominum multitudo seruaretur incolu-
mis. Nam cum animo complexus esset se magna facilita-
te vsum hominisque commiserationem parum prome-
rentis misertum, ei vtpote à malorum instituto minime
recedenti nihil omnino profuisse, imò verò eius rabiem
contra subiectos magis auxisse, adeo vt illis qui ab eo
erant afflictati, nulla esset reliqua salutis spes, absque
cunctatione dextram salutarem iis, qui essent in tam ex-
tremas calamitates prolati, portigere instituit. Idcirco
consuetum militaris expeditionis apparatum instituit.
vniuersa agmina tam peditum, quam equitum, ad illum
frequentia confluunt: quæ omnia antecedebant insignia
certæ in deum fiduciaræ, quæ crucis effigiem supra mon-
stratam, pulchrè representarunt.

*Quod Constantinus adhibitis orationibus componebat se ad
bellum: Licinius contra incantationibus.*

CAP. 111.

Precibus, si vñquam aliàs, etiam iam sibi opus esse
prope intelligens, dei sollicitare sacerdotes, vt sem-
per cum ipso versari, semperque presto esse vellent:
hosque tanquam quosdam animæ custodes ducere. Nūc
vero qui tyrānidē propugnabat, cū auditione accepisset.
Constantinū contra hostes nō aliter, quā per dei virtutē
præsidiū ipsi afferentē victoriam conari cōparare, & eos,
quos dixi, semper vñā cum illo versari, ei adesse, & salu-
taris Christi passionis insigne vniuersum illius exercitū
perpe-

EVSEBII DE VITA

perpetuò antecedere, has res reuera (sic namque erat verisimile) irrisione dignas putauit: simulque Constantium habuit ludibrio, & contumeliosis verbis lacerauit. Itaque is primum augures & vates AEgyptiorum, venificos etiam & præstigiaores, sacrificios & prophetas eorum, quos habebat pro diis accersit ad se: deinde diis illis, quos sibi colendos censuit, victimis placatis, Sciscitur, quo modo belli exitus ipsi cederet. Illi enim hostium victorem sine dubio fore, inque bello superiores laturum uno ore respondent. Quin etiam longis carminum ambagibus oracula ubique idem assuerant. Augures predicti ei per auium volatus fausta præsignificata esse: Sacrifici viscerum micationem similia portendere demonstrant: Fraudulentis igitur istorum promissis elatus, magna cum confidentia castris egressus est, ad manus conferendas paratus.

*Quid de idolis & Christo dixerit, cum in lucis
dæmonibus sacrificari.*

CAP. V.

Qui cum esset prælium initurus, satellites suos, & eos quos inter amicos eximiè charos habebat, in locum quendam qui sacer apud illos putabatur, conuocat. In quo nemus erat irriguum & densum: varix item statuæ lapideæ vario artificio sculptæ, diis ipsius in eo eratæ: Quibus cum cereos accendisset, & consuetas immolasset hostias, eiusmodi orationem habuisse fertur. Viri amici ac socii, Dii isti sunt patrii, quos ex maioribus antiquitus colendos accepimus, quosque religiosè & sancte veneramur. Iste, qui nobiscum prælium initurus est, patriis institutis violatis, pre errore, quo cæcatus est, peregrinum quendam deum (vnde haud equidem scio) colens, impia opinione mentem imbuit: & turpi istius insigni exercitum suum magnopere dedecorat. Quo fretus procedit in aciem, & non contra nos solum, sed multo potius contra ipsos deos, quorum cultoru vt proditor, deseruit, arma ferre aggreditur. Hoc igitur in tempore, liquido constabit, & quis nostrum opinionis errore vagatur, & vtrum diis, qui à nobis, an qui ab altera parte coluntur,